

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

Quid est casus?

urn:nbn:de:bsz:31-106565

Cur Fossio instituta ad plantandas uites, causa est in uenti thesauri, Sed per accidens, quia ille non praeuisus euentus accessit.

Sed hic manet quaestio, unde hic euentus regatur, unde accedat, nulla ne causa gubernante, an tantum, quia tunc piscatoria nauis casu in eum locum impulsata est, ubi tripus inter arenas uoluebatur? Cum Polycrates in uentre piscis donati annulum abiectum reperit, causa per accidens fuit piscatio illa, & quod captus piscis ad Polycraten adfertur. Haec accidere sine ulla per se causa gubernante dicerent Democritus, Epicurus, & multi Physici, disputare neque satis esse referre haec ad temerarios motus uoluntatum & materiae, sine ulla causa. Sed Aristoteles ueracundius locutus est, non dicit nullam esse causam, sed ἀόριστον, incertam, et nobis ignotam. Querunt igitur alij per se causas. Hinc disputationes uariae de Fato exortae sunt.

Quid est Casus?

Casus est causa per accidens in natura non intelligente, cui accidit euentus motu materiae uagabundo, qui non habet certam & perpetuam causam, ut motus utriusque ferri deorsum, Hic motus est naturalis. Sed ut utrum subsidat in basin, nec frangatur, id casus est. Eiecti ex manu tali motu naturali feruntur deorsum, Sed alij ruunt aliter, & cum omnes dissimiliter cadunt, iactus Veneris dicitur. Haec talorum projectio est causa per accidens Veneris iactus.

Nec

Polycrates per omnia fortuna natus.

LIBER II.

Nec est in paruis corporibus, aut ludicris motibus causa per se quaerenda. Multa uariè ruunt sine ulla per se causa. Sed magna corpora plerunq̃ue habent per se causas, ut in aëre magna moles halituum, etsi sine causa certa uidetur ad unum aliquem locum uolui, tamen sæpe certa causa est, ut Saturni, Martis, Mercurij congressus attrahit ad se materiam Cometæ. Cùm Luna, Mars, & Mercurius in latitudine septentrionali conueniunt, cicut Aquilones, in Meridiana, cicut Austros. Possunt hoc modo per se causæ queri de motibus magnorum corporum in natura, quæ aliunde gubernari consentaneum est. Ludicra sæpe nullam habent per se causam, & siqua habent, quaerere eam inanis curiositas est.

Aristoteles ab euentibus discernit Naturam, Fortunam & Casum. Naturam ait, aut semper, aut plerunq̃ue similes effectus parere. Sed fortunam & casum habere euentus, ut usitatè loquuntur, extra semper & frequenter. Non prætereundum est hoc discrimen, etsi à posteriore sumptum est. Illud à priorè sumitur, quod natura in omnibus corporibus ordinata est ad certos effectus, ut in Balsamo uis ad sanandum uulnus, in Pipere ad calefaciendum uentriculum. Plerunq̃ue igitur respondent euentus. At fortuna & casus, quantum ad nostrum iudicium attinet, non sunt ordinata. Non igitur respondent euentus regulariter. Etiam si piscatores Milesij semel aureum tripodem extraxerunt, tamen non est regula-

re, im-

De inueniri in eo loco aureos tripodes. Verba Aristo-
telis digna memoria hæc sunt. πάντα τὰ φύσει
ἢ ἀδούτω γίνεσθαι, ἢ ἐπι τὸ πάλυ, τῶν δὲ ἀ-
πὸ τύχης καὶ τὸ αὐτομάτου οὐδέμ. Natura
aut semper, aut plerunque respondent effectus. Pos-
sunt enim incidere impedimenta, ut curatio vulne-
ris impediri potest, seu quia telum fuit uenenatum,
seu quia inflammatio aliqua accessit, aut aliud acci-
dens perniciosum. Nunc de reductione causarum
per accidens, ad causas per se dicam, ubi de Fato
& multis questionibus alijs dici necesse est.

Ad quas causas per se reduci-
tur Fortuna?

Etsi in ludicris rebus nihil attinet querere cau-
sas per se, tamen multæ magnæ res accidunt homini-
bus omnibus, ut Pompeio, Iulio, & alijs, quæ nomi-
nantur fortuitæ, quarum causas querere ad guber-
nationem uitæ utile est. Quamquam enim in hac im-
becillitate humanæ naturæ prospici omnia non pos-
sunt, tamen aliqua consilio regi à moderatis naturis
possunt. Nec enim uniuersaliter uerum est, quod dici-
tur: Vitam regit fortuna, non sapientia, multa om-
nibus accidunt præter opinionem, propter uarias
causas, sed tamen consilium & consolationem in hac
tanta imbecillitate nostra in rebus præcipuis Deus
ostendit, & quædam moderari agnitio Dei, & dili-
gentia rationis possunt: Vt Davidis historiam con-
sideremus. Primum poterat uitare poenas, domestica
parricidii historia,

Davidis
historia,

parricidii